

8.56.5

*Idem AA. et CC. Epagatho.*

Si donationem rite fecisti, hanc auctoritate rescripti nostri rescindi non oportet.

*S. V k. Mai. Heracliae AA. consss.*

[a. 293]

8.56.6

*Idem AA. et CC. Herenniae.*

Velles nec ne filio tuo praedia itemque mancipia donare, fuit initio tibi liberum, desine itaque postulare, ut donatio quam perfeceras revocetur sub praetextu mariti ac liberorum absentiae, cum huius firmitas ipsorum praesentia non indigeret.

*S. V k. Oct. Viminacii CC. consss.*

[a. 294]

8.56.7

*Impp. Constantius et Constans AA. ad Philippum pp.*

His solis matribus, quae non in secundi matrimonii foedus nupserint, sed unius tantum matrimonii sunt, revocandarum donationum quas in filios fecerint ita decernimus facultatem, si eos ingratis circa se esse ostenderint.

1 ¶ Quidquid igitur is qui a matre impietatis arguitur ex titulo donationis tenet eo die, quo controversiae qualecumque principium iussu iudicantis datur, matri cogatur reddere.

2 ¶ Ceterum quae ante adhuc matre pacifica iure perfecta sunt et ante inchoatum coeptumque iurgium vendita donata mutata in dotem data ceterisque causis legitime alienata, minime revocamus.

3 ¶ Actionem vero matris ita personalem esse volumus, ut vindicationis tantum habeat effectum nec in heredem detur nec tribuatur heredi.

4 ¶ De ceteris autem, quae portentuosaे vilitatis abiectaeque pudicitiae sunt, satis etiam tacite cautum putamus. quis est enim, qui his aliquid arbitretur tribuendum esse, cum etiam illis, quae iure, secundas tamen contraxerunt nuptias, nihil ex his privilegiis tributum esse vellemus?

*D. XII k. Oct. Limenio et Catullino consss.*

[a. 349]

8.56.8

*Idem AA. ad Orfitum pu.*

Si umquam libertis patronus filios non habens bona omnia vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus et postea suscepit liberos, totum quidquid largitus fuerit revertatur in eiusdem donatoris arbitrio ac dicione mansurum.

*D. V k. April. Arbitione et Lolliano consss.*

[a. 355]